

*Annis bis binis mundo suppono ruinis,  
Hoc vi nature, quod vult deus, hoc mihi dure  
Esset narrare &c.*

Itaque sapit et nihil narrat, nisi quod in omnibus ejusmodi Vati-

ciniis legas, morbos, famem, terraemotus. Sub finem tamen:

*Exurget secta quadam nouitate resecta,  
Archimandrite fidei vix fit mora vite,  
Imperium titubans erit et rex vix stabilis stans.*

Non expectavit Eventus a Magistro praedictos *Renaldus Juliaci* et *Geldriae Dux IV.* sed anno 1423. obiit.

XII. fol. 199. *Sequuntur salutationes ad beatam uirginem Ma-*

*Beatus Vir.*

*Ave uirgo lignum vite  
Quod dedisti fructum (rite?)  
Saluti fidelium.*

*Genuisti Christum ihesum  
Sed pudoris non est lesum,  
Nec defluxit folium.*

*Quare fremuerunt. &c.*

Simile quid habes in *Psalterio Minori B. V. Mariae*, quod extat inter Opera *Bonaventurae T. VI.* edit. *Lugd. 1668. p. 473. f.*

CLXVII. VII. 9. II

559 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 139. 4. eleganter exaratus, rubricisque distinctus pertinuit olim ad *Monasterium S. Marie alias Scotorum Wyenne.* Hermeneuticus est, complectiturque Sequentia: I. *Prefationem S. Jeronimi super Interpretationibus Hebraicorum nominum*, quae incipit: *Non statim ubicunque ex A*

*littera &c.* et extat edit. *Vallars. T. III. col. 3.* Verum, cum ibi terminetur his verbis: *in interpretatione uariari*, in Codice ulterius ita procedit: *Quod de A diximus. hoc ipsum quoque in S. littera obseruandum est. Si quidem apud hebreos tres sunt littere. una que dicitur samech. et simpliciter legitur quasi per nostram litteram describatur. Alia Sin. in qua stridor quidam non nostri sermonis interstrepit. tertia sade. quam nostrae aures penitus reformident. Sicubi ergo euenerit ut eadem nomina non similiter ponantur. illud in causa est quod diuersis apud hebreos*

*scripta sunt litteris. Haec sumta sunt ex ipso Nominum hebr. Elencho ante Lit. S. edit. cit. col. 15. Prosequitur Noster: Porro V. litterę duplices apud hebreos sunt &c. Atque haec leguntur in Prologo Galeato. Vides igitur e diversis Hieronymi Locis Eum collegisse, quae ad rem praesentem faciunt, quin tamen ea Loca indicaret. Pone per 4. columnas adpietae sunt Literae Hebraicae cum suis significatibus, Literae Graecae cum sua potestate numerica, et Siglae antiquorum Ponderum. Et tum demum Interpretationes Nominum Hebr. ordine alphabetico tribus columnis ineunt, nulla tamen Librorum distinctione, ut fit in Edit. cit. observata, sed Nominibus omnibus in unum coniectis Alphabetum.*

II. fol. 6. p. 2. absque inscriptione Introductio quaedam catechetica de Sensibus variis S. Scripturae, Figuris sententiarum ex rethorica sumptis, Barbarismo, Soloecismo, Metaplasmo, Scematibus et Tropis. Initium: *Diuina scriptura quot modis distinguitur? Quatuor. quoniam quadriformi ratione omnis diuinorum eloquiorum series distinguitur. Aut enim historico intellectu. aut allegorico. siue tropologico id est morali. seu certe anagogico solet accipi &c. De Figuris subditur: Quas id circo hic introduxi. quod non nunquam inueniuntur in sacra scriptura. Atque in his Beda usus mihi videtur Noster. His adtextus est Canon seu Descriptio Librorum ueteris ac noui testamenti, cui sub-*

*jectum: Hos omnes libros suscipit ecclesia catholica legendos et eosdem glossis sequentibus aliquantulum reperies elucidatos. &c. Itaque*

III. fol. 10. sequuntur *Glosse in genesim hoc initio: Prologus grece. latine prelocutio, uel prefatio. Proemium grece latine breuiatio &c. Praeter Textum enim et Prologi Hieronymiani et Argumenta S. Librorum enotantur. Glossae porro non tantum Voces singularias difficilioresexplanant, sed etiam sensus intricatiores. Hieronymum, Bedam, et Glossum ord. potissimum excerptit Noster, Augustinum, Origenem et Gregorium tamen etiam deflorat. Margines Notulis adpersi sunt. Libro Machab. fol. 94. subnexus est Laterculus chronologicus Iudicum, Regum Iudaeorum, Persarum, Macedonum, Syriae, Asiae, Aegypti. Finis Apocalypseos: ut a gratia inchoaret. et in gratia terminum poneret.*

IV. fol. 135. p. 2. *De sacerdotalibus Vestimentis. E. L. I. Rab. Mauri de Institutione Clericorum Capita XV — XXIII. prout extant in Collect. Hittorp. Colon. 1568. p. 318. f. et Opp. Rabani T. VI. Colon. 1626. p. 7. f. Initium: De Superbumerali. Primum Sacerdotum indumentum est effodbat &c.*

V. fol. 137. *Tabella exhibens Nomina Mensium Secundum Hebreos Egiptios Grecos Latinos quadrilateris hoc ordine:*

*Tebeth. X. (Mens.) Tybi. V. Eudinius. II. Ianuarius. I.*

Nomina sic fatis correçte scripta. Graeca sunt *Macedonum*. Latinis superscripta Germanica; praepostere tamen permutata *Wintemanoth* (November) et *Herbismoth* (October).

VI. fol. eod. Senfa PP. de *Penitentia Salomonis*, ubi Textus duo ab impostore quodam adficti *Augustino* et *Gregorio* sed a recentiore manu. Item quaedam de *Genealogia B. Mariae*. Item de *Ligno Crucis scriptum quod in antiquis libris est repertum*, sed putida Fabella. Item de *serpente gneo*.

VII. fol. eod. p. 2. Series Pontificum et Imp. Romanorum a manu prima ad *Innocentium II.* et *Henricum IV.* a variis deinceps ad *Paulum II.* et *Fridericum III.* perducta.

## CLXVII. VIII. 9. 8

585 Codex chartaceus lat. Sec. XVII. Folior. 281. 4. Titulum praefert: *Theaurus Biblicus e SS. PP. et celebrioribus quibusque SS. Scripturae Interpretibus: item ex Historicis In Caput X. et XI. Genesis De confusione linguarum et diuisione Gentium Collectus a R. P. D. Carolo Stengelio Abbate Anbusano. Pars V. Praecesserant typis Ingolstadt. ann. 1651 — 52. Partes IV. quas post *Le-longium Bibl. S. P. II. p. 972.* enumerat *Ziegelbauerus Hist. Rei Lit. O. S. B. P. IV. p. 26.* additque: *Geneseos Dissertatio quinta (nostra videlicet) nondum typis edita.* At *Gentilotus* noster ó*

*managitus* prodiisse itidem *Ingolstadii* 1657. 8. suis in Indicibus adnotavit. Quamvis vero Exemplar nostrum *ms.* in fronte praeferat Facultatem edendi a *Gaspare* Ep. *Adramyteno* Vicario generali *Augustano* propria manu die 25. Apr. 1653. exaratam, Editionem tamen ipsam apud neminem Bibliographorum deprehendere haectenus potui. Quod magis mirum, Totus hic *Theaurus Biblicus* ultra quintam etiam Partem, ut mox videbis, productus abest ab Elencho Operum, quem ab ipso Autore textum, publicatumque in *Mantissa Rer. suarum Augustanarum* 1650. 4. *Ziegelbauerus* supracit. P. III. p. 387. repraesentavit, ut adeo illo anno vixdum illi congerendo manum admovisse *Stengelius* videatur. Sequuntur vero in Codice:

II. fol. 91. *Theaurus Biblicus — in Librum Josue, Judicum et Ruth*, eadem edendi Facultate in fronte munitus, et

III. fol. 230. *Nemrod Robustus Venator descriptus, cujus occasione accessere tres libelli de ipsa Venatione, raras et mirabiles historias continentes.* Subscripsit et huic Tractatui Vicarius Episcopi supra nominatus, et quidem eodem die et anno, quin et averfa Tituli pagina Venationis adumbratio visitur aeri deinceps incidenda. Verum aut edendi voluntas aut Typographus Autori defuit, quem Opuscula haec ob multiplicem sacram profanamque eruditionem aevo suo certe merebantur. Multus praesertim est